
DE « SACRAMENTARIO LEONIANO »

DENUO EDENDO

Sacramentarium Leonianum, quod dicitur, cum prae ceteris monumentis liturgicis unum emineat, idque cum ad rerum liturgicarum historiam quod attinet, magni sit momenti, tum maxime quod in dicendi genere liturgico nobilissimum exemplum est habendum, doctorum uirorum animum ad se conuertere non immerito posse putamus. Qua praecipua de causa nouam eius editionem comparari non inutile esse nobis uisum est.

Codex, qui huius Sacramentarii formulas continet, in Bibliotheca Capitulari Veronensi asservatur (n. LXXXV), in qua Scipionis Maffei industria meritoque mense Octobri a. MDCCXIII, una cum aliis, iam inde a pluribus saeculis in obliuionem adductis, feliciter est detectus. Lamenta-

bili fato mutilus, tribus prioribus quaternionibus deperditis, unciali nota sexto saeculo exeunte exaratus est.

Plures inde editiones prodierunt. Primus in lucem Codicem Veronensem protulit Ioseph Blanchinius, Romae a. 1735, ex manuscripto exemplari, quod diligenti cura Maffei ipse dictauerat. Haec editio princeps est ad fidem Codicis comparata et emendationibus plerumque accipiendis instructa, sel ualde incommoda, cum in magno uolumine sit sepulta¹.

Aliam ex hac editionem L. A. Muratorius comparauit a. 1748² : sed est ualde mendosa, ideoque fere nullius fidei.

Nouam, melioremque quidem Muratoriana editione, concinnarunt Petrus et Hieronymus Ballerini, qui cum non paucas emendationes accepissent a Muratorio propositas, suam quoque mendis hic illic deturparunt³.

Postremus omnium Codicem Veronensem edidit Charles Lett Feltoe a. 1896⁴.

Haec editio ab ipso manuscripto est deprompta : attamen non paucis scatet erroribus, quorum partem hic subicimus.

*OMISSIONES VERBORUM*⁵. — nos (8 : 1); et (8 : 23, 61 : 12, 79 : 26); per conclusio formularum (15 : 17, 19 : 2, 30 : 16, 33 : 23, 36 : 11, 49 : 14, 86 : 7, 110 : 10); quamuis (16 : 30); nostrum (33 : 21); tui (37 : 11); quaesumus (44 : 14, 161 : 21); nobis (46 : 19); nunc (48 : 25); semper (53 : 16); prophetica (59 : 11); intende (63 : 15); Domine (67 : 29, 157 : 18); illius (106 : 18); beati (147 : 16); ad (153 : 2); talibus (151 : 1); uera (163 : 29).

ADDITIONES VERBORUM. — nobis (12 : 6); et ideo cum angelis, etc. (33 : 24); principali (42 : 24); et (62 : 31); quaesumus (92 : 15).

VERBORUM COMMUTATIONES. — Hi errores haud pauci sunt.

| CODIX VERONENSIS | EDITIO FELTOE |
|------------------|------------------|
| etenim | enim (6 : 4) |
| uictoriam | gloriam (8 : 14) |
| hinc | huic (8 : 33) |

1. Exstat enim in *Anastasio Bibliothecarii* (auunculi eius Francisci), tom. IV, Proleg., Opusc. II, in-folio.

2. L. A. Muratorius, *Liturgia Romana Vetus*, tom. I, Venetiis, 1748. Hanc eandem editionem Ios. Assemanus inseruit in suo *Codex Liturgicus Ecclesiae Vniuersae*, libr. IV, Romae, 1754.

3. Exstat in *S. Leonis M. Opera*, tom. II, Venetiis, 1756. Haec editio in Migne, *Patrologia Latina*, tom. LV, a. 1887, inserta est.

4. *Sacramentarium Leonianum*, Cambridge, 1896.

5. Numerus prior indicat paginam, alter lineam editionis Feltoe.

| CODEx VERONENSIS. | EDITIO FELTOR. |
|-------------------|-------------------------|
| frequentata | frequentia (13 : 26) |
| quod | ut (19 : 26) |
| omnibus | omnium (26 : 27) |
| nomini | nomine (28 : 4) |
| fecit | facit (34 : 14) |
| tota | toto (36 : 19) |
| ueritate | uirtute (39 : 14) |
| persistens | consistens (41 : 14) |
| numeretur | muneretur (42 : 24) |
| sacris | sanctis (54 : 9) |
| omni | anni (59 : 14) |
| adfuturam | adfuturum (59 : 18) |
| seruitiis | seruitii (65 : 23) |
| supplices | suppliciter (67 : 29) |
| qui | quia (71 : 1) |
| deprecandi | supplicandi (71 : 2) |
| speranda | sperata (82 : 30) |
| tibi | etiam (82 : 30) |
| dona | bona (85 : 4) |
| adeo | ideo (93 : 19) |
| supplices | supplices (93 : 24) |
| te | tu (101 : 31) |
| ut | et (124 : 17, 125 : 31) |
| in | nec (125 : 28) |
| sacrificia | sacramenta (146 : 6) |
| quia | quod (167 : 19) |
| manifestata | manifesta (171 : 9) |

Ad editionem ipsam quod attinet, non una eademque ubique ratione ac uia auctorem usum esse putamus. Aliquando enim uidetur editionem adstruere uoluisse, quae *diplomatica* dicitur, aliquando uero contextum sermonis in locis corruptis emendatum dedit, saepius hanc uel illam lectionem in adnotationibus subiectis indicauit : sed quid ipse editor sentiat in singulis locis, raro ostendit. Adde quod cum interpunctionem fere nullam adiecerit, haud facilis intellectu lectio praebetur.

Nonnulla alia uitia rerum liturgicarum cultores deprehendunt, unde ad consulendum minus fit apta haec editio, uti sunt defectus peculiarium indicum tum etiam glossarii ad res liturgicas spectantium¹, ac formula-

1. Cf. F. Cabrol, *les Origines liturgiques*, Paris, 1906, p. 193.

rum numeri ordinis cuiusdam, quo facilius quaecumque formula inueniri possit¹.

Cum ita se res habeat, non superuacaneum nobis uisum est in huius Sacramentarii nouam editionem adlaborare. Hoc unum in animo fuit ut ad fidem quam maximam Codicem Veronensem exhiberemus, ita tamen restitutum ad contextum sermonis, quod attinet, ut nemini eius lectio difficultatem facessat. Praeterea ut sibi quisque rationem reddat et de Codicis contextu orationis et de emendationibus, quas proposuimus, duplici adnotationum genere instruximus, tertio adiecto ad locos similes in aliis monumentis liturgicis occurrentes, uel ad explicationes quasdam adferendas. Quae omnia ut quam maxime adsequeremur, ipsum Codicem in phototypicis tabulis ad paginam expressum prae manibus habendum curauimus, ipsumque in dubiis Veronae inspeximus.

Non dissimulamus tamen, quam arduum sit locos corruptos uel quomodocumque mendosos corrigere. Codex Veronensis non modo mutilus ad nos usque peruenit, sed etiam unicus atque hic illic mendosus, unde non parua difficultas in his locis restituendis oritur. Adde quod formulae liturgicae ex uno in alterum translatae monumentum liturgicum plus minusue immutari solent, ut ad hanc uel illam necessitatem temporis, loci uel ritus accommodentur: immo in ipso Sacramentario nonnullae formulae iteratae inueniuntur et saepe non ad uerbum. Quid igitur faciendum? Caute quidem, sed non ubique in his locis ab emendationibus omnino abstinuimus: nam non semel quandam in his statuendis lectionibus ueritatem nos consequi posse rati sumus. Quam ob rem nullum locum emendauimus nisi euidenter corruptum, atque ideo nonnullas reiecit lectiones a ceteris propositas. Lectiones uero quocumque modo mendosas uel ex ipsius Codicis lectionibus alibi exstantibus uel ex eisdem aut fere eisdem formulis in alia monumenta liturgica receptis sanare conati sumus: quae denique lectiones nullam prorsus uel minus ueri similem emendationem pati uisae sunt, eas non emendatas, crucibus inclusas, reliquimus.

Postremo in nostram editionem comparandam non parui fuit momenti hic illic et numerus oratorius, quo omnes nostrae formulae adstrictae inueniuntur. Hunc numerum oratorium omnes qui in Sacramentario nostro edendo adlaborarunt, immerito neglexerunt. At leges solutae orationis numerosae, eaeque non tantum in unoquoque uerborum ambitu, sed etiam in membris cum ita seruatae sint, ut huiusmodi componendae orationis generis uelut quoddam exemplar Sacramentarium habeatur, illum ignorare iam non licet. Qua re et numero oratorio usi sumus, ita tamen

1. Cf. L. Laurand, *les Coursus dans le Sacramentaire léonien* (in *Revue d'histoire ecclésiastique*, 15 oct. 1915).

ut una cum aliis argumentis vim habeat ad hanc uel illam lectionem statuendam uel reiciendam.

Hac praecipua uia atque ratione innixi nouae Sacramentarii Leoniani editioni operam damus. Quam quidem editionem, cum rerum liturgicarum cultoribus non inutilem, tum maxime ut ad latini sermonis nobilissima monumenta magis cognoscenda nonnihil conferat fore speremus.

Patauii, Kalendis Martiis.

Doct. Victorius DE ZANCHE.
